SUPPLEX RECOGNITIO
ET
GRATULATIO SOLENNIS

Univerſitatis Oxonienſis


Ex decreto venerabilis Domus Convocationis
Feb. 21. An. 1685. oblata

SERENISSIMO & AUGUSTISSIMO PRINCIPI

JACOBO SECUNDO,

Dei Gratia *Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hibern.*

REGI &c.



OXONII,
E THEATRO SHELDONIANO,
An. Dom. 1685.



Augustissime Princeps,



SERENISSIMÆ Tuæ Majestatis subditorum humillimi, Universitas vestra Oxoniensis submisso cultu, quaque possumus reverentia, pedibus tuis Regiis advoluti, sincerum nostrum dolorem hoc publico testimonio consignatum, optimi Principis augustissimis Manibus piæque memoriæ consecramus: totoque insuper affectu singulare Numinis beneficium colimus, quando Deus ille, per quem Reges regnant, pro ineffabili sua erga hanc Ecclesiam atque Rempublicam clementia, sacratissimam Majestatem tuam conservavit, ad hoc imperium, hanc Tuam hæreditatem capessendam.

Et cum nulla nos unquam vis abductura sit ab Ecclesiæ Anglicanæ doctrina & disciplina hujus regni legibus sancitis, cujus præceptis hic imbuti Majestati Regiæ fidem optimam & obedientiam integram præstamus, nullisque conditionibus obnoxiam; temperare nobis non possumus, quin immensas tibi gratias agamus, quod hujusce religionis nostræ tutelam

telam ultro susceperis; & (quo nec majus benefici-um, neque gratius conferre potuisti) hanc te perpetuo defensurum, non verbo solum, sed edicto quoque Regio benignissime confirmaveris.

Quapropter tam officii nostri conscientia, quam tua illa propensissima erga subditos voluntate permoti, spondemus sancteque recipimus nos nullis unquam rationibus eo perducendos, ut ab officii religione discedamus, sed in ea usq; fide perseveraturos, quam Parenti olim tuo præstitimus gloriosissimo Martyri; quam fratri nuper Augustissimo Tibique in difficili illo atque ancipiti statu Reipublicæ, nulla spe, nullis artibus, nullo unquam timore labefactatam: Quin & favente Deo optimo maximo, omni ope atque opera enisuros, ut quæcunque demum præsidia literarum, beneficio Numinis tenemus, quæcunque Regis indulgentia in hac arce doctrinæ atque domicilio congessit, ea omnia ad salutem Principis, ad quietem Regni, ad communem utriusque felicitatem atque tutelam summa fide conferamus.

Postremo cum precibus assiduis ad gratiæ thronum accedemus, ut qui te Deus in avito solio, pro immensa sua bonitate, cum summa pace collocavit, unctum suum deinceps & in æternum conservare atque munire dignetur; Majestatem tuam tueri & vitam producere: & cum ætatem denique diuturnam in honore & pace exegeris, pro terrestri illa & caduca, perennem tibi immortalis gloriæ coronam in cœlesti suo regno largiatur.



SERENISSIMÆ
Regiæ Majeſtati.

CÆſareas clades Academia mœſta, dolore
  Exequitur, pectus vulnere fixa gravi.
In laudes CAROLI toties quæ carmina fudit,
  Innectens lætis verba ſonora modis;
Iſidis ad ripas ſedet atra ſordida veſte,
  (Convenit immenſis luctibus ille color.)
In lacrymas reſoluta, novas dat fluctibus undas,
  Et ſalſo puras gurgite turbat aquas.
Ultro dilecti manibus cecidere libelli,
  Neglectumque humeris barbitos hæſit onus.
Impediunt voces gemitus, meditata querelas,
  Incerto titubant carmina clauda pede.
Hæc raptus poſcit Princeps, hæc juſta ſuperſtes.
  (Cujus in ærumnis non doluiſſe nefas.)
Auguſtus luget non fictis fletibus hæres,
  Hinc fata, atque illinc ſævior inſtat amor.
Fælices lauros intexit nigra cupreſſus,
  Feralis bifido vertice ſurgit apex.

a Nec

Nec, JACOBE, tibi mœstæ pietatis honores
  Displiceant; illos in tua jura damus.
Occidit heu Cæsar fatis præreptus, eodem
  Est studii ratio, spesque sepulta rogo.
Respexit miseras hic blando lumine Musas,
  Nec piguit sacro continuisse sinu.
Non aliter virides hederæ, Jovis arbore nixæ,
  Undique felices explicuere comas.
Perpetui veris securæ, & flore juventæ
  Riserunt madidi flamina sæva noti.
Sed postquam ferro durisque bipennibus ilex
  Acta ruit, sacro & vertice pressit humum.
Conciderant vicina arbusta, hederæque sequaces,
  Et vaga per totum sparsa ruina nemus.
At tu succrescis silvæ qui gloria nostræ
  JACOBE, & sacrum tollis in astra caput;
Qui valido extendis circum ramalia trunco,
  Ulnis complexus quæ Thetis alma tenet:
Quin patere ut possint hederæ tibi serpere; longum
  Atque corymbifero palmite syrma trahant.
Consurgent illæ, teque illæ stante virebunt,
  Frondescentque novæ semper honore comæ.
Et nisi nos fallant, non vanos omina vates,
  Oxonium sub te quod sibi speret habet.
Visere qui nostras non dedignatus Athenas,
  Auspiciis facies usque vigere tuis.

JOH. LLOYD
Vice-Cancel. Oxon.

SERE-

Sereniſſimæ

REGINÆ.

REgina eximium terris decus addita noſtris,
  Munere quo nullum grandius Anglus habet,
Eja age ſydereo diademate tempora cingas,
  Et jubare accendat frons radiata diem.
Talis odorato ſurgens aurora cubili,
  Purpureo rutilas ſpargit ab axe faces.
Immenſum talis colluſtrat lampade cœlum,
  Sol quando Eoo carcere mittit equos.
Quicquid longa dies multos congeſſit in annos,
  Atque ſecuturis fama loquetur anus:
Commeruit quaſcunque olim domus Atia palmas;
  Cæſaris exornat laurigeraſque fores;
Quicquid Rinaldi, Borſi, Alphonſique merentur,
  Et Sigebertorum nomina ſacra ferunt:
Commiſcent longe rivos, & flumine largo,
  Accedunt titulis Laura MARIA tuis.
Ipſa tamen ſuperas, quoſcunque admittis honores,
  Atque decus magno fœnore reddis avis.
Tantus frontis honos, oculorum gratia tanta eſt,
  Quique ſacer pulcro regnat in ore pudor.
Majeſtas quali ſe oſtentat regia Juno:
  Ornatus, cuperet quem Cytherea ſibi:
Ignea vis, qualem Pallas Tritonia jactat,
  Cum poſita idaliam caſſide ſumit acum.
Diva ergo Angliacas, præſens tuearis Athenas,
  Quæque ornas artes, artibus alma fave.

Fida

Fida cohors illæ, ſpectataque rebus in arctis,
Invaſit ſolium cum furiale nefas.
Muſarum in gremio majeſtas tuta reſedit,
Præſidio freta eſt purpura ſacra togæ.
Pro caſtris ſtabant, ſueti invigilare libellis,
Nec gladii doctas dedecuere manus.
Sed regina dabis grata otia; claſſica Martis,
Nec Phœbi efficient conticuiſſe chelyn.
Aoniæ tanta florebunt præſide Muſæ,
Caſtalios latices Iſidis unda dabit.
Terra Venuſinos feret hæc, vateſque Catullos,
Naſceturque iterum Parthenopæus olor.
In quaſcunque hoſpes Regina adveneris oras,
Vertitur in Latium barbara terra tuum.
Ipſa animos geniumque, eadem vireſque miniſtras,
Quæque argumentum carminis, auctor eris.

Joh. LLoyd
Vice-Cancel. Oxon.